

dompno Eximino in Montearagone, abbate dompno Eximino in Sancto Iohanne, abbate dompno Garsia in Sirasia.

1116* marzo. Astorito

29

Alfonso I el Batallador, rey de Aragón y Pamplona, confirma los privilegios y posesiones de San Pedro de Siresa.

ACH, armario 2, núm. 74, copia del siglo XIII.

Ed. DURAN GUDIOL, *Colección diplomática*, núm. 119.

[*Crisión*] In Christi nomine et eius divina clemencia. Ego quidem Ildefonsus, Dei gratia rex Aragonensium atque Pampilonensium, amore divine pietatis ductus et pro remedio anime mee et remissione peccatorum patris et matris mee aliorumque predecessorum meorum, facio hanc cartam corroborationis et confirmationis beato Petro principi apostolorum, et ecclesie Sirasiensi clericisque ibidem Deo servientibus de omnibus donativis prefate ecclesie factis tam regibus quam comitibus aliisque hominibus cuiuscumque fuerint condonationes. Statuo quoque libenti animo et spontanea voluntate ut predicta Siresensis ecclesia habeat, teneat et possideat in perpetuo inviolata et intemerata, in bona pace et quiete, absque ulla molestia et inquietacione omnia collata prenominato monasterio suprascriptis personis sicut in privilegiis eorum continetur villas scilicet predia, possessiones, terminos quoque et defensas atque pascheros et siqua sunt alia donativa antiquitus ipsi ecclesie concessa.

Preterea notum sit omnibus, tam presentibus quam fu-

* Ver la nota 1 de la página 57.

turis, quod dono et concedo ecclesie Sancti Petri ubi fui nutritus, et canonicis ibi Deo famulantibus terminos quos habuerunt et possederunt in tempore regis Sancii patris mei et regis Petri fratris mei et aliorum regum et comitum predecessorum meorum, montes, valles, silvas. In primis videlicet vallem de Asun et de Allarat, de Ornat, et de Vespen en ioso, sicut aqua vertit de una serra ad aliam, cum illo fuero quod rex Sancius pater meus stabilivit. Mandavit enim quod si aliqui per forzam vellent figere ibi capannas populatores de Ecxo prestant pignoram illorum et adducant ad Sirasiam et habeant ipsi medietatem de illo carnale et monasterium aliam medietatem et LX solidos de calonia.

Insuper dedit mandatum hominibus de Ecxo ut omni tempore per unum diem in anno laborent ad opus de Sirasia cum bovis suis, quando et ubi prior de Sirasia invitaverit eos ad laborandum.

Item aliud dedit mandatum quod populatores de Ecxo laborent in Asun ad opus suum, excepto quod non intrent in illos campos cognitos de Sirasia et dent de fructifibus quo ibi habuerint fideliter decimas et primicias ipsi monasterio.

Confirmo etiam ipsi ecclesie estivam que vocatur Allarat, sicut aqua vertit usque ad fluvium Aragonis, cum omnibus terminis qui sunt infra et omnes terminos qui sunt usque ad ipsum monasterium.

Item afirmo predicto monasterio totam vallem que est de illa entrada de Aquatorta en ioso, silvas, montes, campos; Subasc, cum suis campis, et Ozam similiter cum suis campis; estivam que vocatur Agnelleria, cum suis algorrals; estivam qui dicitur Aguer, et unum cubilar in Aquatorta et aliud in Guarinza.

Concedo similiter beato Petro clavigero et eius monasterio hanc libertatem et ingenuitatem quod quicumque in toto termino infra aream de Asun et infra pontem rivi Hospitalis et infra Petreram aliquem virum vel feminam irata manu percusserit aut ibi violenciam fecerit aut ibi pignus abstraxerit pectet mihi et successoribus meis M solidos et persolvat ipsi monasterio pro unoquoque clerico ibi habitante LX solidos.

Assigno etiam et assignando prefigo ecclesie de Siresa terminos quos habuit tempore patris mei et aliorum tam regum quam comitum predecessorum meorum, de valle de Ecxo et de villis in ipsa valle existentibus Ecxo, Escauos, Biesa et de Ordos, Loresa, Villanova, Monasteriolo cum suo monte, Ostes, Catarecha, cum omnibus terminis eorum qui sunt de illa serra de Arahues usque ad serram de Aratodeia et de villa de Berbos en suso et de illa entrada de Aquatorta en iosso, sicut supra scriptum est.

Illud quoque notum sit cunctis quod concedo prenominate ecclesie vallem de Ardanes et de Ollellala usque ad Fozem, cum villis que sunt infra predictos limites, Gordito cum suis terminis qui sunt de Olellola usque ad rivum qui dividit terminos de Gordito et de Orsa et sicut fluvius Aragonis dividit usque ad serram que est super [vallem] de Grossim, cum illo pacco sicut aqua vertit versus Orsam usque ad predictum rivum, Orsam similiter Enbun, Castel Sihuerr, Grossa, Sarnes, Archesa, Asues, Ardanes, Berbuas.

Istud similiter cognitum sit cunctis quod quando campi de Siresa qui sunt de Arripamaron usque al illud monasterium fuerint terminati, non transeant aliqua animalia per viam que transit ad Sirasiam, nec oves, nec vacce, nec eque. Quod si fecerint et mandatum istud contempserit domini ovium vel aliorum animalium pectent ipsi monasterio LX solidos. Hec itaque omnia supradicta laudo et corroboro et in perpetuum indissolubiliter tenendum ab integro confirmo.

Si vero aliquis rex vel comes de genere meo aut quilibet alius successorum meorum contra hoc factum ire voluerit aut temerario ausu infregerit, sit particeps penarum gehennalium cum Datan et Abiron, quos terra vivos obsorbuit, et habeat porcionem cum Iuda traditore in inferno inferiori. Conservantibus autem et custodientibus illud sit pax salus et vita in celesti patria cum Domino nostro Ihesu Christo per infinita secula seculorum, amen.

[Ilegible] pretaxato monasterio donativum asigno quod nullus hominum terre mee pignoret animalia que portent victualia ad opus clericorum ibidem Deo serviencium. Quod

si fecerit et huius mandati mei contemptor fuerit sive sit nobilis sive ignobilis sive potens sive impotens, cuiuscumque sit conditionis vel ordinis pectet mihi et successoribus meis M solidos et pro unoquoque clericorum persolvat ipsi monasterio LX solidos.

Ego Ildefonsus rex totum scriptum superius laudo et confirmo et corroboro et hoc sig[signo]num facio.

Facta carta era M. C. L. I[III]¹., in mense marcii, in villa que dicitur Astorito, regnante me Dei gratia in Aragone et in Pampilonia, in Superarbi et in Ripagorza, episcopus Stephanus in Osca, episcopus Raimundus in Rota, episcopus Guillelmus electus in Irunia, Garsias de Biele abbas in supradicto monasterio de Sirasia, signor Acenar Acenarz in Funes, signor Lope Lopez in Calahorra, signor Enneco Galindez in Sors, Barbaza in Lusua, Castang in Biel, Per Petit in Boleya, signor Fertung Garzez in Pueyo et in Tena, Fertungo Iohannes in Tamaretho, signor Tizone in Boyl et Montisone.

¹ El documento está fechado en 1113. Pero evidentemente no puede ser de ese año, ya que aparece citado el obispo electo Guillermo de "Irunia" (Pamplona), que sucedió al prelado Pedro, muerto en 1115.